

Sæpe Jovem vidi, cum jam sua mittere vellet Fulmina, thure dato sustulisse manum.

MARTIAL. l. V.

Extra fortunam est, qui quid donatur amicis, Quas dederis, solas semper habebis opes.

Idem.

Dionysius senior cum ad filium ingressus, vidisset magnam vim aureorum et argenteorum vasorum, non est, aiebat, in te regius animus, qui his peculis a me acceptis neminem tibi amicum fecisti. Nempe senfichat absque civium benevolentia regnum nec teneri, nec parari, hanc autem numeribus maxime conciliari PLUTARCH. in *Apoph.*

DIGNITAS. — Pythagoras rogatus, qua ratione homines Diis similes haberi possent, respondit: Si veritatem amplecterentur, et cunctis beneficerent. ÆLIAN. c. XII, *Var. Hist.*

Qui dat beneficia, Deos imitatur, teste Seneca, qui repetit, fœneratores. L. III, de *Benef. c. xv.*

Si Deos imitaris, da etiam ingratum, nam et sceleratis sol oritur, et piratis maria patent. Id. l. IV, c. XIV.

JUCUNDITAS. — Unum bene positum beneficium multorum amissionum solatur damna. Beneficium est benevola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo. PLUT. in *Locum.*

Agasilas sibi multo jucundius esse dicebat, si milites suos ditaret, quam si ipse ditesceret.

AUCTORES.

Bernardinus Rosignolus, de *Disciplina Christ. Perfect.* l. IV, c. xxxviii.

Jacobus Alvarez de Paz, tom. II, *operum Spirit.* l. II, p. II, c. vii, §. 12.

S. Albertus Magnus, in *Paradiso anime*, c. xvii.

Ludovicus de Ponte, de *Perfect. Christ.* tract. III, cap. III.

LINGUA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est membrum animalis, ad cibum gustandum, vocemque formandam, a natura ordinatum. De qua Hugo:

Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo. Ligat, et ligari non potest; labilis est, et non teneri potest, sed labitur, et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos pereunt, et interficit. (Hugo, l. II, de *Anima*.) Lucius Apuleius ait, linguam aliis animalibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias datam, homini autem, ut etiam sit promptuarium recte rationis, et suavissima orationis, ut, quæ prudentia corde concepit, ea sensu promat oratio. Sive lingua humana (de hac enim solummodo hic est sermo) est membrum præcipuum hominis ad alimentum hominis discernendum mentisque conceptus articulate exprimendos a Deo illi concessum. LUC. APULEIUS, de *Dogm. Platon.*

DIVISIO. — Dividitur in bonam et malam, uti Æsopus indicavit, qui interrogatus, qui esset bonum et malum? Lingua, respondit. (*Maxim. de log.*). Nam, ut S. Jacobus ait, in ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. (JAC. III, 9.) Porro bona lingua est, quæ bona bene loquitur, id est, modo et intentione bona; nam, S. Gregorius recte advertit, in omni, quod dicitur, necesse est, ut causa, tempus, et persona pensentur, si verba sententiæ veritas roborat; si hanc tempus congruum postulet, et si veritatem sententiæ et congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnet. (S. GREG. I, VI *Mor.*) Hinc et S. Hieronymus monet, ut verbis sit jugum et slatera, atque mensura, ut sit gravitas in sensu, sermone pondus, atque in verbis modus. (S. HIER. *sup. Ezech.*) Mala lingua est, quæ mala aut bona male loquitur, quod, teste S. Hieronymo, contingit, quoties aut in non opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, loquimur. Quæ a Sancto Jacobo inflammare rotam nativitatis dicitur, quia sicut lamina ferreæ ignite affiguntur a ferro ad rotas, easque undique ambiunt; ita lingua mala totam vitæ nostræ cursum occupat. (Idem, l. c.) Hanc divisionem lingue in malam et bonam, indicavit clare etiam S. Hieronymus, dum dixit: Lingua nil medium habet, aut grande bonum est, aut grande malum. *Apud. Drex.* l. II *Phaet.* c. xli.

Sanctus Thomas aliam adhuc accidenta-

lem assignat divisionem per hæc verba: Scriptura ponit linguas, per quas significantur peccata diversa, quæ committuntur per linguam. Prima est lingua dolosa, quæ est in duplicibus et proditoribus. Jerem. ix. *Sagitta vulnerans lingua eorum doctum locutus est.* Secunda est lingua magniloqua, quæ est in superbis et arrogantibus. Ps. XI. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Tertia est lingua serpentina, et venenosa, quæ est in invidis et detractoribus. Psal. cxxxix. *Aceverunt linguas suas sicut serpentes.* Quarta est lingua mendax, in peccantibus, et mentientibus, et falsis testibus. Prov. vi. *Sex sunt, quæ odit Dominus, inter quæ sex enumerat quoque linguam mendacem, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias.* Quinta est lingua blanda, quæ est in mendicantibus; de hac dicitur in Proverbiis vi. *Custodiam te a blanda lingua.* Sexta est lingua tercia, quæ est in lenis et lenonibus; de hac Ecclesiasticus inquit: *Lingua tercia mulieres viratas eiecit.* Septima est lingua iniqua, quæ est in adulatoribus. Octava est lingua gladiosa, quæ est in iracundiis, qui convitiis occidunt multos. Nonaliqua fallax, quæ est in malis mercatoribus et deceptoribus. Decima est lingua blasphema. Undecima est lingua acharis, id est, sine gratia, quæ est in histrionibus et derisoribus. S. THOMAS DE VILLANOVA, *ser. in Dom. IV, post Pasch.*

Sed et S. Gregorius aliam affert divisionem, dicens: Tria sunt hominum genera, quæ gradatim ductæ ad se qualitatibus dissident; sunt namque alii, qui et ad loquendum prava concipiunt, et a locutione sua, nulla silentii gravitate refrenantur; et sunt alii, qui, cum prava concipiunt, magno se silentii rigore restringunt; et sunt nonnulli qui virtutum usu roborati, usque ad eam celsitudinem provehuntur, ut ad loquendum ne in corde quidem perversa concipiunt, quæ silendo compescant. Eliphaz itaque, ex quo sit ordine, ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se non posse testatur; quia in re et illud innotuit, quod se loquendo offensurum novit; neque enim retinere verba, quæ non potest, vellet, nisi per hæc se vulnera inferre prænosceret. Boni enim viri freno consilii retinent præcipationem verbi, et caute considerant, ne relaxantes lingue lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transigant. Unde bene per Salo-

monem dicitur: « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum; si aqua quippe dimittitur, cum lingue fluxus effrenatur, sed dimissis aquæ, caput jurgiorum efficitur, quia per lingue incontinentiam discordiæ origo propinatur. Igitur sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipientes, et reticere pertractando negligunt, quæ loquuntur; sed quod levis conscientia concepit, levior protinus lingua prodit. S. GREG. I. V *Mor.* c. xxi.

ACTUS BONE LINGUE. — Primus est, *Deum benedicere, gratias agere, predicare, orare*, uti Sanctus David instruit orans: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiat laudem tuam.* Ps. l. 47.

Secundus, *proximum instruere, corrigere, consolari*; de quorum primo Apostolus ait: *Frates, si præconcepatus fuerit homo in aliquo delicto, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* (GAL. VI, 1.) De secundo autem et tertio idem dixit: *Rogamus autem vos, Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* I. THESS. IV, 14.

Tertius, *suos sensus et affectiones pro corporis, animique salute proponere*, nam, ut bene Plato advertit, propter hoc nobis datus est sermo, ut præsto forent mutæ voluntatis indicia. PLATO, in *Timæo.*

ACTUS MALE LINGUE. — Hos P. Jeremias Drexelius per alphabetum explicavit, fusiusque descripsit. Sunt autem sequentes fere: Adulatio, Blasphemia, Convitium, Detractio, Exprobratio, Frans, Garrulitas, Hypocrisis, Imprecatio, Calumnia, Lascivia, Mendacium, Nugacitas, Ostentatio, Perjurium, Querimonia, Rixa, Susurratio, Turpilium, Vituperatio.

CIRCUMSTANTIE IN LOQUENDO OBSERVANDÆ. — Quinque potissimum ab Ascetis assignantur. Prima est, *Quid sit loquendum*; ut scilicet, quemadmodum Hugo ait, nunquam in sermonibus otiosa adhibeantur verba.

Secunda est, *Cui loquendum*, ubi idem Hugo ait, considerandum esse, an propter se, vel illum quis loquatur. Si propter se, videat, ut ille talis sit, de cuius colloquio utilitas sibi provenire possit. Si propter illum loquatur, caveat, ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita etiam in malo sit obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi non permittat. Si ergo sic est, nunquam nisi ad nostram vel aliorum eruditionem loqui debemus. *Ibid.*

Tertia est, *Quomodo* sit loquendum; qui quidem modus in eo consistit, ut loquentis gestus sit modestus et humilis, sonus demissus et rebus accommodatus, ut sic exhortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem avaros, et omnino, quidquid dicere volumus, ex ipsa prius sermonis nostri qualitate colligamus.

Quarta est, *Ubi* loquendum; quædam enim sunt loca, in quibus silentium est servandum; quædam, in quibus intelligentia, et ex ratione Scripturarum collationes, cum disciplina tamen et reverentia, hoc est, sine contentione et clamore verborum haberi possunt; quædam, in quibus pro instructione morum verba habenda sunt; quædam, in quibus magis loquendi licentia laxatur, ita ut non solum de spiritualibus, sed etiam de exteriorum dispositione et provisione sermones admittantur; loca autem, in quibus vana et superflua dici possint, invenire non queo. *Ibid.*

Quinta est, *Quando* loquendum; est enim tempus, quando nihil, et est tempus, quando aliquid est dicendum. Nullum vero tempus est, quando omnia dicenda sunt. Tempus enim tacendi debet præcedere tempus loquendi; propterea non ait Salomon, tempus loquendi, et tempus tacendi, sed tempus tacendi, et tempus loquendi, quia prius per silentium tempus tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi profertur. Sapiens enim æque cavet, ne tempore, quo loqui debet, per negligentiam sileat, quam ne in omni tempore, quo loqui licet, per licentiam concessam in multiloquium cadat. Recte ergo tempus loquendi discernitur, si homo non semper, quando loqui debet, sileat; nec semper, quando loqui licet, loquatur. *Ibid.*

EX S. SCRIPTURA,

QUALITAS. — Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ps. XXXVIII. Posui ori meo custodiam, et ostium circumstantiæ labiis meis. Ps. XIV, 3. Sermo vester semper in gratia sale conditus sit, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Col. v, 6.

Erunt labia tua, sicut botri vineæ, et odor oris tui, sicut odor malorum. Guttur tuum, sicut vinum optimum, dignum dilecto meo

ad potandum, labisque et dentibus ejus ad ruminandum. Cant. VII, 8.

PARCITAS. — Sit omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Jac. I, 19.

Noli esse verbosus in multitudine Presbyterorum. Eccl. VII, 15.

GARRULITAS. — In multiloquio non deerit peccatum. Prov. X, 19.

In multis sermonibus invenietur stultitia. Eccl. IV, 2.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correptio. Prov. XXIX, 20.

Vir linguosus non dirigitur in terra. Ps. CXXXIX, 12.

Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit. Eccl. IX, 25.

Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter est egestas. Prov. XIV, 23.

Os lubricum operatur ruinas. Prov. XXVI, 28.

NECESSITAS. — Aurum tuum et argentum tuum confusa, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos, et attende, ne forte labaris in lingua tua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. Eccl. XXVIII, 29.

Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vane est religio. Jac. 26.

Dico enim vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Matth. XII, 36.

UTILITAS. — De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. Prov. XII, 14.

Qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam. Prov. XXI, 23.

Verbum dulce multiplicat amicos, et lingua eucharis in bono homine abundat. Eccl. VI, 5.

Qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Petr. III, 10.

Mors et vita in manibus linguæ; qui diligunt eam, comedent fructus ejus. Prov. XXVIII, 21.

Qui dulcis est eloquio, commendatiorem reddit doctrinam. Prov. XXXVI, 21.

DIGNITAS. — Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam freno circumducere totum corpus. Jac. III, 2.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur, et si compresserit labia, intelligens. Pr. XII, 27.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam laborum suorum habebit amicum Regem. Prov. XXII, 11.

DAMNUM. — Sicut urbs patens et absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prov. XXV, 28.

Os impiorum redundat malis. Ib. xv, 28.

Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi interierunt per linguam suam. Eccl. XXVIII, 22.

Labia insipientis præcipitabant eum; initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius, error pessimus. Eccl. X, 12.

Qui loquitur iniqua, non potest latere; nec præterit illum judicium corripiens. Sap. I, 8.

Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, qui non attraxit jugum illius, et in vincula illius non est ligatus; jugum enim illius jugum ferreum est, et vinculum illius vinculum aeneum est. Mors illius mors nequissima, et utilis potius infernus, quam illa. Eccl. XXVIII, 23.

Honor et gloria in sermone sensati; lingua vero imprudentis subversio illius. Eccl. V, 2.

TEMPUS. — Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabit tempus. Eccl. XX, 7.

Tempus tacendi, tempus loquendi. Eccl. III, 7.

Priusquam audias, ne quid respondeas; nec verbo dicentem interpelles. Eccl. XI, 8.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Prov. XXV, 11.

MATERIA. — Omnis enarratio tua sit in præceptis Altissimi. Eccl. IX, 23.

Omnis sermo malus ex ore tuo non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Eph. IV, 29.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. I. Petr. IV, 11.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; ex abundantia enim cordis os loquitur. Luc. VI, 45.

USUS. — Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Ps. I, 17.

Dominus dedit linguam eruditam, ut

sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. Isale c. I, 4.

Ori tuo facito ostia, et seras. Eccl. c. XXVIII, 28.

In lingua sapientia dignoscitur. *Ibid.* c. IV, 29.

Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt a natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest. Jac. c. III, 8.

Hominis est animam preparare, et Domini gubernare linguam. Prov. c. XVI, 1.

Est tacens, non habens sensum loquelæ, et est tacens, sciens tempus aptum; homo sapiens tacebit usque ad tempus. Eccl. c. XX, 5.

Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? Ib. c. XXII, 33.

Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Matth. XII, 17.

USUS BONUS. — Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Ps. XIV, 1.

Labia deoscalabitur, qui recta verba respondet. Prov. c. XXIV, 34.

Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id, quod justum est, judicate. Job. c. VI, 29.

Os justus meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. Ps. XXXVI, 30.

Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, atque perversum, recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. Prov. VIII, 8.

USUS MALUS. — Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum; et in corde sapientium os illorum. Eccl. XXI, 28.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Job. IX, 20.

Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio Principes eorum a furore linguæ suæ. Osee, c. VII, 16.

Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinas. Prov. c. XXVI, 28.

Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Psal. XIII, 3.

Qui consideratus est ad loquendum, sentiet mala. Prov. c. XIII, 3.

Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabant eum. *ECCL. c. X, 12.* Lingua imprudentis subversio est ipsius. *ECCL. c. IV, 15.*

Propter peccata laborum, ruina proxima ad malum. *PROV. XII, 13.*

Dilexisti omnia verba præcipationis, lingua dolosa; propterea Deus destruet te in finem. *PSAL. LI, 6.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Lapis emissus sermo prolatus; ideo diu, antequam proferatur, cogitandus S. *HIER.*

In primis magno studio id comparandum habemus, scite ut sermocinari possimus, ut nec contentiosius percunctemur, nec affectantius respondeamus, ut disserenti non obloquamur, nec interfari, ac interpellare gestiamus, absurda ostentatione, fastumque præferente. S. *GREG. NAZ. p. I, ad Theol.*

Idcirco Deus linguam velut duplici muro voluit circumdari; nam dentium tegmine, et laborum custodia continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. S. *CYRUS, in Cath. ad illum.*

Idcirco et tenuis illa membrana, que cum ipsa lingua mentum interius devincit, frenum dicitur, ne inepte loquatur, et inconcinne. S. *GREG. NYSS. apud Lancelz. op. II, n. 202.*

Non frustra lingua in udo est, quia facile labitur. S. *AUG. in Ps. 38.*

Sapiens, priusquam loquatur multa, considerat, quid dicat, cui dicat, quo loco et tempore dicat. S. *AMB. I. I, de Offic.*

Lingua sub magni moderaminis libratione servanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. S. *GREG. I. I, Mor.*

Difficilis res est, in lubrico faucium constitutum veritatis rigida tenere mensuram, cui si incaute frena laxentur, frequenter contra se loquitur; facilius enim culpa tacendo refugitur, quam loquendo. *CASSIOP. sup. illud Ps. Dixi custodiam.*

Ante te est, æquitas, unam linguam habes, ad quodvis eam vertes. Quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri, et cibos iniquitatis das lingue tue malignæ; sicut eligis, quo vescaris, sic elige, quod loquaris. S. *AUG. de Nat. et Grat.*

Anceps non emittit accipitrem, nisi anserem videat; designatur venator catulum solvere, nisi lepus appareat; arcus flexis cornibus frustra non intenditur; et rationale os ad effundenda irrationabilia passim relaxatur? S. *PETRUS DAM. op. Fab. c. II, in Dom. II, post Pent.*

Vanus sermo vanæ conscientie est index; mores hominis lingua pandit; qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. *HUGO, I. I, de Anim.*

Quibus citra honestatis morem lingua polluitur infrenis, his conscientia quoque sordidissima est, quia facilius contingit, ut quispiam seria loquens vivat obscene, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, et probus moribus. *SIN. I. III, epist.*

Verba volvere, et apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebem et indoctam volubilitate lingue decipere, quæ, quidquid non intelligit, plus miratur. S. *HIER. ad Nepot.*

Dedit ei linguam, que loqueretur, Deum laudaret, divina caneret, polychritidinem naturæ interpretaretur. Dissert de celo et terra, parva lingue caruncula, neque duorum digitorum habens latitudinem, et quid inquam digitorum? Neque extremitatis unguis, sed summum illud parvum et vile, de celo et terra loquitur. S. *CYRUS, tom. VI, de Fide et Leg. nat.*

Lingua clausa, et quasi in loco carceris posita est, circumdatur enim atque munitur a duobus muris, videlicet a dentibus, qui sunt quasi murus, propugnaculis ossium munitus, et labiis ignei coloris, quæ sunt quasi antemurale lingue, cum cæleri sensus in aperto sint omnes. S. *BERN. tom. III, s. de Multiloq. a. 3, c. VII.*

Lingua radieatur in corde, ut consideret homo, quod loqui debet, quod sentit in corde, si utile est; aut si veritas non est utilis, tacere, et nunquam mentiri; quasi natura ipsa humana clamet, cum corde uniendo esse debere, in corde et ore; et sicut unicum cor, sic sit unica lingua. *IB. c. II.*

Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo; ligat et ligari non potest, labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percuc-

tit et interficit; blanda est, et subdola, et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala. *HUGO, II, de Anima.*

CUSTODIA. — Lingua nostra sensum nostrum sequatur, et rationem, non voluntatem, non debemus tantum oculos clausos servare, sed et linguam intra dentes servare illasam, sermo enim vanus, vanæ conscientie index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris, talis et mens comprobatur, et qualis fueris in factis, talis comprobaberis in verbis. S. *AUGUST. s. III ad Fratres.*

Os nostrum perpetuo custodiamus, ei rationem, tanquam claves adhibentes non ut perpetuo claudatur, et ripis coercatur, cito lutum colligit amnis et undas; jugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. S. *AMBROS. lib. I, de Officiis.*

UTILITAS. — Dedit Dominus nobis linguam ad consecrandum sua Mystera, et Ecclesiastica Sacramenta, quibus sanctificantur creature visibiles per verbum Dei; et oratione vivificantur, et consecrantur anime spirituales, morbi curantur, divina offensæ remittitur, gratia infunditur, remedia conferuntur, Dæmones effugantur, et, quod majus est, et mirabilius, et efficacius, etiam in Christi Corpus creaturæ visibiles convertuntur. In istis non solum pares sumus Angelis, immo excellimus, quia non eis contulit Sacramentorum suorum mysteria dispensanda. *BELL. I. c.*

Noli pati linguam sordescere; quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittit? Orna eam humilitate, atque modestia; dignam fac Deo, qui per eam rogatur. *IBID.*

Nefas est, ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, et laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia, et lingua quis Dominum rogat, qua aut mentitur, aut maledicet, aut detrahit. S. *HIERON. op. XIV.*

Attendat ergo unusquisque, quanta sit ingratitude, quanta iniquitas, quantum flagitium, membrum tam nobile, tantis dotatum prerogativis, et privilegiis adornatum, inquinare sordibus peccatorum, et quod est instrumentum Dei, in tam dignis et divinis officiis, facere Diaboli instrumentum. *BELL. I. III, disc. III, p. I.*

Januam Sponsus ipse vult clausam esse, dum pulsat. Janua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiat, antequam pulsaverit Verbum. S. *AMBROS. lib. III, de Virg.*

Ante omnia, ubicumque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio,

sive in consensu, verba turpia et luxuriosa nolite ex ore vestro profere, sed magis vicinos et proximos vestros jugiter admonete, ut semper, quod bonum est et honestum, loqui studeant, non forte detrahendo, male loquendo, cantica luxuriosa et turpia proferendo, de lingua sua, unde debentur Deum sum laudare, inde sibi vulnera videantur indigere. S. *AUG. s. CCXV.*

Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors et vita in potestate lingue est. *HUGO, I. II, de Anima.*

Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, qui multiloquio peccat cilli colligat, sit restrictior, et ripis coercatur, cito lutum colligit amnis et undas; jugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. S. *AMBROS. lib. I, de Officiis.*

UTILITAS. — Dedit Dominus nobis linguam ad consecrandum sua Mystera, et Ecclesiastica Sacramenta, quibus sanctificantur creature visibiles per verbum Dei; et oratione vivificantur, et consecrantur anime spirituales, morbi curantur, divina offensæ remittitur, gratia infunditur, remedia conferuntur, Dæmones effugantur, et, quod majus est, et mirabilius, et efficacius, etiam in Christi Corpus creaturæ visibiles convertuntur. In istis non solum pares sumus Angelis, immo excellimus, quia non eis contulit Sacramentorum suorum mysteria dispensanda. *BELL. I. c.*

Obstrueto siquidem inutilium verborum meatu, inclusus amoris ignis cogitationes modificat, compungit animum, fugat vitia, lacrymarum educit fontes, custodit ostia, sectatur pacem, sursum erigit cor, Deoque conjungit. Tunc composita proferuntur eloquia salis condita, et consideratione circumspecta. S. *LAURENTIUS, in Fasc. Din. Am. c. XI.*

Lingua prudenter exercitata fit decore anime, conscientie speculum, index cogitationum, charitatis vineulum, nutrimentum pacis, honor hominis, honestatis exemplar, morum decus, reconciliatrix hominum, amica sapientie, spiritualis vitæ magistra, fraternæ dilectionis custodia, nulli onerosa, omnibus semper amabilis, universisque proficua. S. *LAURENTIUS, de Inst. et Reg. Præf. c. VIII.*

Si tuam linguam custodieris, dabitur tibi a Deo gratia, compunctio nempe cordis, in qua videbis animam tuam, et in hac egredieris in gaudium spiritus: si autem lingua te vicerit, crede mihi, quod dico tibi, num-

quam poteris a tenebris mentis emergere. S. CLIMAC. *Schol.* III, *ad Gr.* 1.

Hec (lingua) si moderatur, reddit hominem moribus ornatum, mente tranquillum, conscientia sincerum, et cunctis amabilem. S. LAUR. JUST. c. xv, *de Discipul. Mon.*

Recte oris officio uti, et diligenti cautione moderari linguam, observando, quid dicendum sit, quid reticendum, divinum plane munus est, et res haud parvi pendenda, iis certe, qui cum laude vitam ducere student. At contra illa præcepta in loquendo temeritas, et effrenatus ad nugæ effundendas impetus, periculo non caret. S. CYRILL. ALEX. t. VI l. II *adv. Nestor.*

DAMASC. — Quæ igitur venia nobis dabitur, immo vero quæ supplicia non pendemus, quando linguam nostram, qua Dominicam degustavimus carnem, Diaboli sponte linguam efficimus? S. CHRYS. hom. LXXIX, *in Matth.*

Præstat saniem ex ore emittere, quam verbum obsecum. At nunc si fœtæ, ne ad communes quidem cibos admitteris; cum autem anima usque adeo fœtæ, heu! tu sumere mysteria non dubitas? Ac siquidem aliquis vas impurum acciperet, atque in mensa tua collocaret, fustibus quoque casum illum exigeres; tu vero Deum cum in ipsi (mensa enim ipsius nostrum est, cum gratiarum actione plenum est) quovis impuro vase fetidiora, et execrabiliora verba profers, quæso te, non cum ad iracundiam abs te provocari putas? Et qui aliter fieri queat? Id. hom. vi, in II *ad Corinth.*

Christus ad nos ingreditur, cum communicamus. Nostis vos, qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficimus, cum Corpus Dominicum excipit. Audiant, qui obscena loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohortescant cogitantes, quale os turpent, et dedecorent. Id. h. xxx, II *ad Corinth.*

Linguam custodi a contumeliosis mandam, et turpibus verbis, blasphemiam, perjurio, et omnibus aliis hujusmodi. Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem mysteris linguam, et sanguine tali purpuratam, et factam aureum gladium, ad convitia et contumelias, et scurrilitates transferre. Reverere honorem, quo Dominus ipsam honoravit, nec ad peccati usum ipsam deducas, sed rursus animadvertens, quod, post manum et linguam, cor suscipit tremendum illud mysterium, ne unquam

in proximum consuas dolum. Id. h. xxi, *ad Pop.*

Inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur, nam et mentium lapsus ex linguæ garrulitate verrientes quidam declarans, ait: Multi ceciderunt per gladium, sed non tanti, quanti per linguam; et gravem casum demonstrare festinans, ait: Lapsus de pavimento potius, quam lapsus de lingua. Quod dicit tale est. Confucibilis est ruere, et corporis sentire jacturam, quam verbum tale proferre, unde anima poterit deperire, neque lapsus tantum attingit, sed et suadet nullam adhibere cautelam, ne supplantemur, dicens: Fæ ori tuo ostium et seram. Id. hom. LIX, *Catech. ad illum.*

Inflammat linguæ mobilitas in innocentia, ad jocosa; in virili ætate, ad fraudulentia; in senili, ad detractoria. S. AUG. s. III, *ad Fr.*

Plurimis licet signis atque miraculis claruisset Moyses, ubi modice lingua lapsus est, e terra promissionis excidit. Num. xv. Exod. XIV. *Magnum et horrendum mare viam ei præcludere non potuit, sed verbum unicum inique ab eo prolatum, velut murus aliquis ei obstetit, ne ulterius progredi posset.* Si Moysen, qui Dei instar factus est Pharaoni, vel solum verbum exclusit a terra promissionis, quanto magis nos maledicentia linguæ nostræ, quam in Deum et homines quotidie exacuimus, ac stringimus, a Regno Dei arcebit? S. EPIPHAN. *de Lingua mala.*

Quot superfluis verbis maculas contraxerit, tot de gratiæ dulcedine exsiccat. Per oris ergo custodiam servat cordis munditiam, et ex cordis munditia foris format verba. Commendat Christus in Sponsa hanc custodiam, et cocino comparat, quia informatur charitate, et propter Deum, non pro humana laude vel honestate scit eloqui. RIC. VICR. in c. xix *Num.*

Illud etiam quantæ formidini, quanto nobis debet esse terrori, quod Veritas ait: «Omne otiosum verbum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii.» Audiat lingua vaniloqua, audiat lingua otiosa, audiat lingua scabiosa. Scabiosa, inquam, lingua, quæ velut scabiem quandam atque prurium patitur, nisi semper acuto quodammodo supervacua locutionis ungue sculpatur. Audiat et pavescat, intelligat, et tam terribilem sententiam perhorrescat, audiat terrorem judicis, de

ore ipsius judicaturi. S. PETR. DAM. tom. II, *ser. de Vitio lingue.*

Grande nefas ducimus, si vas Eucharistiæ asservandæ deputatum, in profanos usus liquetur, cœleturque adulteris; et tamen inter levissima picula habemus, si linguam Corporis Domini velut patenam, Diaboli hæc sanie perfundamus, et ad impium ministerium quasi consecremus, ut vel spureis cantionculis, vel narratiunculis inhonestis deserviat. MANSI, c. xi, n. 4.

Quare non abs re quispiam facere poterit, si ora istorum, qui versantur in foro, qui secularium rerum rabie furiunt, cloacis sordidissimis comparet. Si quis autem moleste ferat, quod multitudinis ora sordium cloacas appellaverim, is parce nimium me dixisse non ignoret; non enim hæc mensura, sed acerbiori similitudine Scriptura utitur: «Sepulcrum, inquit, patens est guttur eorum; linguæ suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. S. CHRYS. h. LXXIX *in Matth.*

Omnia ferarum genera in lingua repertiunt, ibi quippe est levitas volucrum, ibi ferocitas bestiarum, ibi fraus virulenta serpentium; volatiles enim sunt, qui proferunt in cœlum os suum, et quorum os locutum est vanitatem, quasi voluerunt levitatem; feroces bestię sunt, quæ exacuuntur in gladium linguas suas; serpentes, de quibus dictum est, quia venenum aspidum sub labiis eorum. S. PETR. DAM. l. II ep. XIII.

Ills domos domibus committit, et urbibus urbes.
Protinus, id nullo eamque labore facit.
Committit populam Regi, Dominamque subactis,
Et stipulam incendit mox levis igniculus.
Illa ralis socios, fratres, natosque patresque.
Illa viros armat, participesque thori.
Illa malum insontem reddit, justumque nocentem;
Rursus id inverit. Quis rogo tanta potest?
(S. GREGOR. Naz. Carm. n. 31, *de Silent. etc.*)

Consideremus, quot modis noceat. Noceat occulte et manifeste, de prope et de longe. Occulte, ideo serpenti assimilatur, sicut Propheta ait: «Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.» Noceat manifeste, ut puta in comminationibus, in irrisionibus, in contentionibus, et modis similibus. Noceat de prope, propterea talis lingua gladio, qui de prope lædit, assimilatur; unde prophetavit: Exacuunt ut gladium linguas suas, lingua

eorum gladius acutus. » Noceat de longe; proinde sagitta assimilatur, quæ de longe vulnerat; unde Jeremias, IX. *Sagitta vulnerans linguam eorum.* S. BERNARDIN. ib.

Sermo unus est, qui loquitur, et unum verbum tantum profert, et tamen unum verbum uno momento multitudinis audientium aures inficit, et animas interficit. Ibid.

Hoc habet semper lingua miltiosa commercium, ut lites serat, odia moveat, mortem acquirat, ita in hoc loco, Salomone dicente: «Lingua multos conturbavit pacem habentes, civitates destruxit, et domos effodit.» Falluntur profecto, qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius. Quamvis enim ista in perficiendis moribus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. S. VAL. hom. v.

Nihil est savius, nihil violentius, amarissimum asperisque sermonibus, quorum vulnera tanto difficilior curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cœlum volantia facilius scuti objectione contemnis, verborum vero jactus nec revocari potest, nec prohiberi, multo enim velociores sunt sagittis. Quæ autem ibi propugnacula subveniant, aut quæ munio tam parata succurrat, ubi emissum telum penè ante percussit, quam procedit? Idem.

Lingua maledica vipera est ferocissima, quæ lethaliter inficit tres uno ictu, illum qui loquitur, et de quo loquitur, et quem verbis scandalizat. S. BERN. *ser. de Triptici. Custodia.*

Multo magis noceat lingua, quam manus; quia manus parcent absentis, sed non lingua, quæ noceat absentis, et etiam mortuis, et in secreto. STELL. in c. XIX. *Luc.*

O lingua nequam! O impia odii et invidiæ proles! O pestifera lepra! Tu es, quæ discordias seminas, tu sola concalcas bonos, difamas justos, paris scandala, perjuria, testimonia falsa, occasiones iniquas multiplicare non cessas. Tu, lingua sava, punis insontes, inter conjuges scandala ponis, infamas viudas, defloras virgines, tu pias et sacras Religiosas confundis, simplices conscientias turbas. Tu rancores, tu jurgia, tu livores et iras, contentiones et rixas, et contumelias, et scissuras suscitare non cessas; divisiones et partialitates nutris et lactas. Tu sola prodiones generas, incendia foves, homicidia patras. Tu fratricidia, parricidia, et cæteras crudelitates virulenta impietate committis. Tu sola federa frangis, in conjurationibus

occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos. Tu sola dissipas civitates, destruis regna. Tu charitatem extinguas, deprimis justos, magnificas impios, fidem destruis, spem quoque frangis, cæterasque virtutes impia crudelitate persequeris. S. BERN. SEN. tom. 1, s. xxiii, ar. 3, c. iii.

Nihil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem adducit, denigrat honestatem, et interioris gustus dulcedinem tefecat, sicut inanis et præsumptuosa loquacitas. S. LAUR. JUST. c. xiii, de *Discip. Mon.*

Ingrreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si proaciter, postremo si, ubi non oportet, loquaris. S. AMBR. 1. de *Virg.*

Quot supervacuis verbis mens a silentii sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur. Unde redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa vim intimæ considerationis amittit. S. GREG. 1. V *Mor.*

Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat. Leviter transit, sed graviter urit. Leviter penetrat animum, sed non leviter exit. Leviter profertur, sed non leviter revocatur. Facile volat, ideo charitatem facile violat. S. BERN. in *quod. s.*

Dæmon undique nobis insidias preparare consuevit, sed facilius lingua et ore peccante. Nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati; nam inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur; nam et mentium lapsus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans ait: Multi ceciderunt per gladium, sed non tanti, quanti per linguam. Refrena igitur linguam, et si non palitur reticere, dentium morsu quiescat, et tanquam carnifici tradatur dentibus. S. CHRYS. hom. ad *Baptiz.*

Vanus sermo cito polluit, et facile agitur, quod libenter auditur. S. BERN. s. xliii, de *Int. Dom.*

Sermo vanus non erit absque iudicio, quia ab omni rectitudinis statu deperunt, qui per verba vana dilabuntur. Ibid.

Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii: otiosum quippe verbum est, quod aut justa necessitatis aut intentione pie utilitatis caret. S. GREG. vii *Mor.*

TEMPUS. — Tempus tacendi, et tempus loquendi; discreta vicissitudine pensanda

sunt tempora, ne aut, cum restringi debet lingua, per verba se inutiliter solvat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. S. GREG. 1. vii *Mor.*

In omni quod dicitur, necesse est, ut causa, tempus, et persona sentetur; si verba sententia veritas roborat, et congruentiam temporis personæ qualitas non impugnat. Idem, 1. vi *Mor.*

MATERIA. — Felix lingua, quæ non novit, nisi de divinis texere sermonem! S. HIER.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Vellem me pluries tacuisse, et inter homines non fuisse. L. 1, c. x, § 4.

Si loqui licet et expedit, quæ edificabilia sunt, loquere. Ibid. § 2.

Malus usus et negligentia profectus nostri, multum facit ad incustodiam oris nostri. Ibid.

Juvat non parum ad profectum spirituum devota spiritualium rerum collatio, maxime ubi pares animo et spiritu in Deo sibi sociantur. Ibid.

Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redii. Hoc sæpius experimur, quando diu confabulamur. L. 1, c. xx, § 2.

Facilius est omnino tacere, quam verbo non excedere. Ibid.

Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

CUSTODIA. — Virgo, quæ eximio hoc epitheto, *Sedes Sapientia*, honoratur, postquam intra sacra viscera sua æternum hoc Patris Verbum concipere meruit, prout ex sacris litteris constat, parum et raro locuta fuit; neque id admirandum est, siquidem in libro Sapientia scriptum est: *Dum silentium quietum contineret omnia, Omnipotens sermo tuus de celo a regalibus sedibus venit.* Unde Verbum Patris in silentio conceptum fuisse constat. Ideo Guerrius Abbas ait: Nunc quoque si silentium medium teneant omnia interiora tua, omnipotens sermo tibi secretus illabatur de sede paterna. MANSI, d. vi, n. 13.

S. Job etsi gravissimis tribulationibus a Deo et Dæmone exercitatus, in omnibus tamen his non peccavit labiis suis. De eodem

prima, æternaque veritas asseruerat, ipsum omnes in sanctitate mortales superare, et nihilominus is de seipso profitetur dicens: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* Job. c. ix, 20.

S. Ephrem e vita decedens dixit: Nullo modo in omni mea vita contumeliosus adversus Dominum fui, nec sermo stultus egressus est ex labiis meis. In omni vita mea neminem maledictis affeci, et omnino cum nullo homine Christiano contendi. MANSI, d. 1, n. 4.

Lingua S. Antonii de Padua, quæ tot annis laudando Deum, innumerisque animabus per prædicationem suam convertendis intenta fuit, singulari Dei providentia, ab omni corruptione mansit illæsa, sana, pulchra, vivax et rubicunda, de qua S. Bonaventura, dum eam ex loco suo foras in publicum educeret, cum tenera devotionis lacrymis dixit: O lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, aliosque benedicere docuisti, nunc liquet, quam grata ei fueris, quantique apud eum meriti exististi. MANSI, d. 1, n. 4.

Halligenium Monasterium Ordinis S. Benedicti in Brabantia Religione probatissimum est, et in charitate præcipuum; in hoc Cœnobio Monachus erat ita silentio deditus, quod infra sexdecim annos ab ore ejus, nec una verbi syllaba per tantum tempus audiretur. Contigit autem, sicut a Monachis ibidem audivimus, ut in claustro gravissimum ignis incendium grassaretur; tunc idem Monachus videns, humanum auxilium non valere, mox se contulit ad divinum oransque paululum in silentio, linguam diu mutam in hæc verba laxavit: *Stes, ignis, hæc hora; flamma, penitus conquiescat. Mira res! vim virtutis suæ oblitus est ignis, stetitque in verbo viri sancti, et flamma penitus est extincta.* CANTIER. lib. II. *Apam.* c. xiii, § 3.

Refert Bellovacensis, quod mulier quædam contentiosum domi habens maritum, vetulam quamdam, quæ magiæ fama apud vicinos laborabat, consulnerit, quid ei facto opus esset, ut cum marito pacifice vivere, sequæ a verberibus et pugnis, quibus sæpe a marito atrociter vapulabat, eximere posset; quia vero prudens anus inquietudinem hanc, qua a marito molestabatur, nec non omne malum a petulantia et proacitate linguæ ejus procedere solum, probe sciebat, eidem suavit, ut matutino tempore summo diluculo hortum suum ingrederetur, ibi-

demque cundo, stando, et redeundo continuo servaret silentium, facieque orientem versus posita tres recitaret orationes Dominicæ, totidemque salutationes Angelicæ, trinis quoque vicibus ab herba quadam, quæ *sturo* appellabatur, sciscitaretur, quid sibi faciendum, ne a marito vapularet, certam illam esse jubens, quod optatum ab herba reportaret oraculum. Vetula autem mulierem hanc præveniens, subque dicta herba se abscondens, cum mulier trines sciscitaretur, quid pro hac gratia obtinenda exequendum sibi esset, vetula primo quidem voce submissa, postea vero non nihil alta, et in fine elatissima respondit: *Tace, et pacem habe, et redeundo non loquaris.* Cum vero mulier domum reversa a vetula de eventu subsecuto interrogaretur consiliumque ab herba sibi suggestum exponi sibi posceret, tandem omnibus a muliere per ordinem recensitis, subjunxit vetula: *Vere, filia, bene dictum est tibi, si tacearis, et, viro redeunte domum, linguam teneris, pacem habebis cum eo.* BELLOV. *Spec. mor.* l. III, dist. viii, p. 1.

Similem quamdam faciem P. Jeremias Drexelius de alia quadam recenset muliere, quæ, cum insultu mariti sui contentidisset et indigne illum tractantis, cum domum ut plurimum ebrius rediret, diutius sustinere non posset, a viro quodam sapiente, ut cum marito pacifice et quiete deinceps vivere posset, remedium postulavit; qui eidem suavit, ut ex fonte domui suæ vicino aquam hauriret, eamque viro domum redeunte ori immisam tamdiu in eo retineret, donec maritus obdormisset. Mulier igitur suggestum sibi salutare consilium prompte excecata est, et deinceps cum marito suo pacem habuit. DREXEL. *Phaet. de Ling. contentiosa* c. x, § 4. *Phaet.*

Ut vitæ tradant Patrum, Monachus quidam aliquando ad Abbatem Pastorem se contulerat in secunda Quadragesimæ septimana, suum ei cor aperturus, suamque ad recipienda documenta salutaria manifestaturus conscientiam; ad S. igitur Abbatem accedens, ait hospes: In modico impediri habui, ne venirem ad te hodie. Dixit ei senex: Quare? Et ille dixit: Metuebam, ne propter Quadragesimam mihi non aperiretur. Et respondit ei Abbas Pastor: Non didicimus januam ligneam claudere, sed magis linguæ januam cupimus clausam habere. *Vite PP.* l. V, n. 3.

Agatho Abbas, lapillo assidue ori indito, tacere didicit; idque ab eo annos tres observatum, ne etiam cum fari vellet, expeditum sibi foret, legerat quippe illud in Proverbiis. Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. MAR. I. IV.

Pambo Abbas Theopilo Episcopo, se adeunti aliquando et aliquo sermone ab ipso spiritualiter refici petenti, respondit: Si taciturnitate mea non reficaris, nec sermonibus refici potes. Hinc quidem die vitæ suæ jam supremo audacter affirmavit, ex quo eremum incolere cœpisset, nullum se unquam protulisse verbum, quod prolatum nollet. Perfecit ergo quod initio promiserat. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. *Ibid.*

Severus Sulpitius Presbyter cum multa catholice scripsisset in senectute, a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. *Ibid.*

QUALITAS.—S. Vincentius mulieri muta, ex miraculo panem et usum lingue petenti, panem quidem concedendum dixit, usum vero lingue negandum, eo quod vitam animæ et corporis sua loquacitate esset perditura. Unde mox iterum muta facta est. (DAUR. c. VI, in *Cat. hist.* tit. XLVI, n. 8.) Hanc historiam Mansi etiam sequentibus verbis recenset: S. Vincentio Ferrerio, in urbe Valentina in die Nativitatis S. Joannis Baptiste predicanti, mulier quædam pauperula et muta ex numerosissima auditorum suorum turba presentata fuit; quæ a S. viro Dei interrogata, quid vellet? respondit: Panem, et linguam, o Domine. Cui S. Vincentius dixit: Panem quotidianum, dum vixeris, habebis; officium lingue non impetrabis. Tu vero gratias age divine bonitatis, quæ tibi negat obfuturam; lingua tua nisi sic esset ligata, esset mordacissima, animæ corporique interitum allatura. MANSI, d. XII, n. 4.

Abbas Pastor cum aliquando Abbatem Agathonem, juvenem adhuc Religiosum, Abbatem vocasset, causam dicti rogatus dixit: Quia os suum fecit eum appellari *Abbatem*. *Spec. Eccl.* dist. II, ex. CLXVI.

Cum quidam Fratres ad Antonium eadem navi cum sene quopiam tenderent, et de variis rebus locuti fuissent, hic postea, cum S. Antonius illi diceret: Bonus Fratres ha-

buitis ad comitatum. Abbas respondit: Sunt quidem boni, sed habitatio eorum non habet januam; quicumque enim vult, intrat in stabulum, et solvit asinum. Hoc autem dicebat, quia quodcumque ascendebat in corda ipsorum, illud loquebantur. *Ib.* ex. xxvii.

Pambus Monachus cum ab alio monita salutis expetens, hunc versiculum recitari sibi audivisset: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; noluit plus sibi dici, asserens, satis fore, si hoc bene didicisset; cum vero post quadragesimum novum annum iterum quesitus fuisset, an nondum lectionem sibi traditam calleret? respondit, se vix dum eam tenere. PALLAD. *Hist. Eccl.* p. II, l. VI, c. 1.

Abbas Sisois de se dixit: Crede mihi, jam triginta annis Deum deprecor, et hoc unicum oro: Domine Jesu, protege me a lingua mea. PELLAG. I. IV, n. 39.

Cum quidam juvenis a viro religioso cilicium pro carne domanda petisset, hic os digito signans dixit: Vere, mi juvenis, optimum est cilicium, vigilantiter attendere, quid per otium hoc egrediatur. DAEX. in *Phœt.* c. LXI, §. 3.

S. Franciscus alumnos suos frequenter ad disserendum de divinis convocabat, quo illud inter alia consequutus est, ut aliquando illis considerentibus, Christus sub speciosissimi adolescentis forma sese medius insinuarit, placidissimoque vultu suam illis benedictionem dederit. *Chron.* p. I, L. I, c. XIX.

S. Catharinæ Senensi sermocinationes de Deo tam jucunde extiterunt, ut æquo animo videre non posset, si quempiam res mundi ludieras serio tractantem conspexisset. ROMA. p. II, tr. II, c. XIII.

S. Thomæ Aquinatis tota conversatio in sanetis ejusmodi colloquiis fuit traducta, ex quo illud emolumentum est consentus, ut, si quando cogeretur cum secularibus etiam profana tractare, seipsam mox nullo labore recolligeret, consuetisque mentis exercitationibus totum se impenderet. SUTRIS, in *Vit. D. Thom.*

Abbas Macheles multis qua lacrymis, qua precibus a Deo obtinuit, ut in colloquiis spiritualibus, etsi toto die durarent, nunquam; in secularibus, otiosis et impertinentibus a somno statim occuparetur. CASS. I. V, *Inst.* c. XXIX.

Quidam vir magnus, cum Fratres inter se de S. Scripturis colloquerentur, vidit SS. An-

gelosadstantes, et plurimum se colloquiis illis oblectantes; cum autem aliud quidvis loquerentur, statim SS. Angeli longius recedebant, et porci sordidissimi veniebant, et volutabant se inter eos. Demones enim in specie porcorum delectabantur eorum vaniloquiis. Beatus autem senior hæc videns, commonebat per monasteria Fratres dicens: Cohibete a multiloquio, et ab otiosis sermonibus linguam, per quam malus interitus animæ generatur. *Vit. Pat.* p. I, c. XXXV.

S. Nicetius, Episcopus Lugdunensis, nulla verba nisi pia et sancta loquebatur, otiosa vel jocosa nunquam; contumeliosus vero in alios vel in se conjecta, negabat esse audienda, eo quod ex animi perturbatione prolata essent. SCRIVUS, in *Vit.*

DAMNUM MALE LINGUÆ.—Sacerdos quidam et Judex, impudica coram S. Valerico se cum suis in domo Sacerdotis frigate faciente, loquentes, graviter mox puniti sunt, et Sacerdos quidem utroque orbatus est lumine, Judex vero membra genitalia computruere. DAUR. in *Cat. hist.* tit. XLVI, ex. IX.

Sacerdos alius malevole homines diffamare solitus, ante mortem in furiam actus, tanta in se cæde bacchatus est, ut propriis dentibus linguam sibi laniarit. *Spec. Eccl.* dist. V, ex. XCII.

Duranus, Episcopus Tolosanus, cum sæpe verba risum moventia incautus proferret, et ab Hugone Abbate admonitus non desisteret, post mortem Sigurno Cappellano spumoso ore (ut Hugo ei prædixerat,) apparens, cum magno fletu auxilium petit. Quam ob causam Hugo pro eo commune silentium per hebdomadam fieri jubens, eum tandem ex Purgatorio liberavit. *Ibid.* *Hist.* IV, ex. XIV.

S. Gertrudis testatur, nunquam per novem annos subtractam sibi fuisse presentiam Christi, nisi per undecim dies, quod ipsa putabat ob sermonem quemdam mundanalem contigisse.

Thracognotta in *Historiis* suis refert, qualiter Monarchia Ottomanica, que tot a sæculis evoluit hætenus duræ servitutis jugum majori totius universi, imo (quod deplorabilis est) Christianismi parti imposuit, suam acceperit originem. Nimirum unicum verbum non otiosum, sed injuriosum et pungitivum, inadvertenter fortasse prolatum, tot ruinis originem dedit. Cum enim Heraclii Imperatoris tempore, Ministri ejus ob exhaustum ærarium, debita Saracenis ex

Arabia appulsis solvere stipendia non possent, et thesaurarius Cæsarius illa totius militiæ nomine a se poscentibus, se panem canibus subministrandum non habere, respondisset, verbum hoc injuriosum et asperum animam illorum adeo vehementer penetravit, ut in generalem militiæ Duces, Mahometum eligentes, atque ab Imperii obedientia se subtrahentes, desperate adversus Christianos dimicare, talesque progressus continuo facere cœperint, ut parum abfuerit, quin S. Petri naviculam totaliter inverterint. MANSI, d. X, n. 3.

In Vitis Patrum quidam ex sanetis illis senioribus sic lamentatus fuisse dicitur: Quando congregabamur initio ad invicem, et loquebamur aliquid, quod utile esset animabus nostris, efficiebamur scorsum, et scorsum, et ascendebamus in celum. Nunc autem congregamur et in oblectationibus occupamur, et unus alterum trahimus in profundum. *Vit. P. P. I.* V, n. 105.

Cum S. Valerius Abbas, hyberno tempore, ab eo loco quem Caldem vocant, ad suum monasterium rediret, in ipso itinere ob nimiam frigoris acerbitate ab presbyteri ejusdam domicilium cum suis sese calefacturus divertit. At illi qui tantum hospitium summpere venerari et reverenter excipere debebant, ut ejus sacris sermonibus instrui mererentur, ad turpia et obscena jactanda verba, una cum ejus loci Judice, prorumpunt. Ille contra, uti consueverat, putridis et corruptis hominum vulneribus salubria cœlestis verbi cataplasmata adhibebat, atque ad illos: Non audivistis, filii, illud ex Evangeliiis; de omni verbo otioso reddituros nos rationem in die Judicii? Ea ratione nihil permoti, contempto viro Dei multo etiam foediores et impuriore vomebant sermones. Tum ille: Volui quidem, inquit, in tam acri frigore nonnihil corpusculum meum ad ignem refervere, sed vestra id non sinunt lingue impurissime; que me etiam frigore afflictum abire compellant. His dictis excussio in eos pedum suorum pulvere, abscessit. Ecce autem in proceas et spures illos mox ultio divina grassatur, et Presbyter quidem repente utroque orbatus est lumine, et Judicis membra genitalia computruerunt. Tum illi presentem Dei vindictam male experti, conantur verbis supplicibus ad se virum sanctum revocare, sed frustra. Et alter quidem cæcus permansit, alter vero contracto corpore, et putres-

centē inguine extinctus est. *In Vita S. Wall. Abb. apud. Surium. 1. die April.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius ita loquebatur, ut sermo ejus esset semper sententiis gravis, simplex, parvus, consideratus, et narratio potius, quam amplificatio, aut confirmatio, aut contentio. In rebus alicujus ponderis diu hærebatur, levibus prætermittens. Audiebat prolixè et libenter usque ad finem sine interpellatione. Neque ex una materia in aliam transiliebat casu, sed consulto. Viros graves nunquam auctores proferebat, nisi in rebus gravibus et certis. Audiens aliquid, quod ad iram vel turbidiorum aliquid motum incitare potisset, statim se colligebat, jungebatque cum Deo, et quid responderet, accurate meditabatur. Unde nunquam rationem præcurrerebat inconsiderantia, et semper in tranquillitate manebat. In laudando parvus, parcior in vituperando, superlativis vix utebatur. PP. Salmeroni et Laynio Tridentum iturus suavit, ut in omni colloquutione privata cogitarent, se in publico habere sermonem. *Vita. l. V. c. vi.*

S. Franciscus Xaverius in Japoniam navigans, ut Noroniam navis præfectum sibi conciliaret, omni usus comitate et affabilitate sermonis, subinde etiam honeste ludentes spectabat, et super ludum false dicta miscbat. (*Hist. Soc. p. 1, l. V, n. 25.*) Unde Noronia, qui necdum virum noverat satis, cum familiaribus de illo colloquens, aiebat, unum e populo sibi videri Xaverium, nec illius sanctitatem viri sermonibus respondere. Verum cum dein appulso navigio audisset, Xaverium in secessu quodam alienatum a sensibus orare repertum, mox sententiam mutavit. Unde addit Orlandinus, comitatem periculosam esse, nisi eximia et sanctitas adjungatur. *Hist. Soc. p. 1, l. IX, n. 164, et l. III. Vit. c. XVIII.*

P. Antonius Aaroz tanta erat suavitate et pietate in colloquiis cum fratribus, ut ejus colloquia calamo exciperentur. *Ex l. In golst. c. XII, §. 6.*

Joannes Berekmann quesitus, quid faceret, quod nunquam verbis peccaret, respondit: Numquam nisi præfinito verbum facio, ac Deo prius commendatum, ne quid illi ingratum proferam. *Vit. p. II, pag. 96.*

EXEMPLA PROFANA.

Socrates interrogatus, utrum silentium ejus stultitiæ, aut ignorantie adscribendum foret? respondisse fertur: Nemo stultus tacere potest. Quapropter S. Hieronymus tacere consueverat: Bene loqui nescio, quia tacere non novi. *Mansi, d. VI, n. 13.*

Adolescens quidam in Academia de studiis quibusdam negotiis loquebatur, cui Zeno dixit: Nisi lingua in mentem infincta diserneris, adhuc multo amplius dicendo delinquas. *Stob. s. XXXVI, de Garrulitate.*

S. Clemens Alexandrinus navi: Anacharsim Seytham dormientem sinistra quidem continuisse putanda, eos autem dextra, significantem oportere quidem utrumque coercere, sed majus esse, linguam cohibere, quam voluptatem. *CLEM. ALEX. l. IV. Str.*

Narratur de quodam, quod, cum haberet uxorem suam in mari, dum imminente tempestate clamatum esset a nautis, quod graviora de navi projicerentur, ille exhibuit uxorem, dicens, quod in tota navi non erat aliquid gravius lingua ejus. Hæc est causa, quare multi habent uxores suas exosas, et male tractant eas, quia malas habent linguas. *Bellov. Spec. Mor. l. III, d. III, p. 1.*

Cum Augustus Cæsar aliquando judicio præsedisset, et causa legitime judicata, hominem injuste delatum absolvisset, ille gratias agere volens, alta voce dixit: Gratias tibi, Imperator, habeo, quod male et injuste, judicasti. Cum vero adstantes graviter indignarentur, hominemque corrigere velent: Desistite ab indignatione, inquit, neque enim linguam ipsius, sed animum expandere oportet. *LUCIAN. II, Hist. l. I.*

Zeno audiens adolescentem multa garrulentem, dixit illi: Memento, ob id binas nobis aures, et os unicum a natura datum, ut meminimus, multum audiendum, parum loquendum esse. *LAERT. l. VII, c. 1.*

Isocrates Orator cum Locuteleus quidam in disciplinam ejus recipi vellet, duplicem mercedem postulavit. Illi vero causam roganti respondit: Alteram peto, ut loqui discas, alteram ut tacere. *Stob. s. XXIV.*

Chilon Lacedæmonius dicebat, linguam, cum alias semper, tum præcipue in convivio continendam, quod illi cibis et potus invitet ad intemperantiam. Porro tibi plus

est periculi, major etiam cautio adhibenda est. *LAERT. l. II, c. IV.*

Theophrastus dicebat, potius esse fidendum effreni equo quam verbo incomposito; nemo autem non metuit insidere effreni equo; at plus est periculi ab effreni lingua. *Id. l. V, c. II.*

Demosthenes audiens in convivio hominem loquaculum. Si multa sceres, dixit, non multa loquereris. *Stob.*

Charillus interrogatus cur Lacedæmonius tam pauca leges a Lyeurgo date essent? Quoniam, respondit, pauca loquentibus, paucis legibus opus est. *PLUT. in Lac.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut paterfamilias, qui domi servum haberet rebellem, qui in ipsum dominum insurgeret, eumque vulnerare auderet, merito carceri includeret, et tempore bene longo jejunare sineret; ita et linguam suam merito laborum et dentium ostio concludet quisvis homo, si, quanta sibi, aliisque damna crearit, accuratius consideret.

Sicut lingua bovina, dum adhuc in bove vivit, cruda et insipida est, parvique penditur; mortua vero et igne excocta, variisque condimentis preparata, gratissimum homini cibum efficitur; ita et hominis lingua, quando vivit, id est, libera et ad nocendum aliis prona est, Deo, hominibusque insulsa et ingrata erit; mortificata vero, et igne charitatis Dei et proximi a crudelitibus vitiorum liberata, ac variis virtutum condimentis condita, Deo, hominibusque saporem et oblectamentum singulare conciliat.

Sicut nante omnia periculosa loca in mappis delineata habent, ut illa declinare queant; ita servus Dei omnia malorum sermonum genera perspecta habere debet, ne in ea incautus impingat. *LUD. GRAN. in Duce. Pecc. l. II, p. II, §. 72.*

Sicut fructus arboris cultus indicat, et scaturiens fontis aqua naturam terre, per ejus meatus transit, ostendit; ita sermo corda hominum manifestat. *Id. in Loc. Com. f. 582.*

Sicut homo sobrius et temperans nihil trajicit in stomachum, quod ante non bene præmanderit, dentibusque contriverit; ita et virum prudentem decet nihil loqui, quod non prius in corde perfecte ruminarit. *S. CYPR. apud Rodrig. p. 1, tr. II, c. VIII.*

Sicut loculos pecunia referatos non prius aperimus, quam evidentem pecuniam expendendi necessitatem aut utilitatem advertimus; ita nec linguam prius reserare debemus, quam perpenderit, quid, cui, quo modo ac tempore sit loquendum. *S. VINC. et S. BON. Ibid.*

Sicut monetæ aureas ante, quam accipiamus, vel expendamus, accurate ponderamus; ita et verba diligenter prius ponderanda sunt, quam in publicum proferantur. *FAB. CONC. II. in Dom. II, post Pent. n. 2.*

Sicut cibos sale cum magna consideratione conspergimus, cavemusque, ne nimium salis apponendo insulos reddamus; ita et sermo noster sale discretionis considerate aspergendus est, monente Apostolo. *Ibid.*

Sicut eligis, quod vescaris; sic elige, quod loquaris. *S. AUG. in Ps, 31.*

Sicut egressurus domo undique prius circumspicit; an vultu et vestitu satis decore prodeat; ita locutus videat, quæ decora sint verba; quæ in publicum emissurus est. *FAB. l. c.*

Sicut equus, qui olim Joanni Papæ a domina quæpiam commodatus est, nullum deinceps alium sessorem admittere voluit, quam dictum Pontificem; ita et lingua Christiani, quæ toties Christum in Eucharistiam sessorem habet, merito nulli alteri, quam illi servire velle deberet. *Ibid. n. 3.*

Sicut molendinum talem reddit farinam, qualem frumentum est molæ affusum; sic lingua loquitur, quæ mens pertractat. *Id. CONC. III, n. 4.*

Sicut medici febris, alteriusve mali, seu morbi qualitatem discernere volentes intimis, infirmi sibi exhiberi jubent linguam, ex eaque in notitiam deveniunt gravitatis mali, quia inter alias lingue venas, una ad cor, alia terminatur ad cerebrum, quæ nobiliores, maximeque vitales sunt hominis partes; ita quo spiritu, quæ virtute, aut judicio quisque polleat, ex ejus discursu concludere licet, dicente Ecclesiastico: «In lingua sapientia dignoscitur;» et Seneca in Proverbiis: Imago animi sermo est; qualis vir talis oratio. *MANSI, d. VI, n. 2.*

Sicut, qui fert aromata, etiamsi nolit, ex odore proditur: ita et qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur. *S. CLEM. grad. 26.*

Sicut dum ades oclusa manent, nequam, quod in eis continetur, videri potest;

patrefactis autem foribus, si quis oculos in eas coniecerit, videt, quod ante in abscondito publicum subterfugebat conspectum; ita pariter interiora hominis minime patere possunt, ast si portam aperuerit, id est, linguam solverit, mox in notitiam devenitur intimatorum affectuum et passionum, aut vero virtutum, honorumque sensuum, et cogitationum ejus. Unde S. Laurentius Justinianus de disciplina et perfectione conversationis tractans, ita de lingua scribit: Est janua, per quam sæpe Diabolus ingreditur ad cor, et per quam patet interioris hominis status; ubi enim incomposita est lingua, ibi nil potest esse occultum. *MANSI*, l. c. n. 5.

Sicut pisces in aquis positus semper nando discurrat, et in continuo est motu; ita quoque lingua semper in faucibus nostris volvitur inquietudine continua. *Id. dis. VII, n. 1.*

Sicut difficile est, aquam sine cataractis coercere; ita difficilius linguam et oris imperantiam refrenare et domare. Et paulo post idem auctor subjungit: Ut sunt pauci, imo perpauci, qui aquarum impetu coercere possunt, nisi prius aggeres struant, quomodo enim prohibeant; ita pauciores sunt, qui effrene os retundere possunt. Aquam per agerem prohibent, linguam per continentiam vincunt. *S. CLM. grad. 11.*

CUSTODIA. — Sicut valde monstrosum esset, si vitis aliqua uvarum loco spinas produceret; ita quoque paradoxum est, si lingua, quam Deus nobis ad ipsum laudandum et benedicendum dedit, in maledictiones et blasphemias prorumpat, vel alio quovis modo proximum contumeliatur. *Vit. PP. l. v, c. iv, n. 50.*

Sicut creatio lingue est ad gustandum humiditates, et ad sermocinandum, et lingua hominis est absoluta, valde mollis et lata, ut utatur in duabus operationibus, gustu scilicet et sermone. Et lingua mollis, et lata est, conveniens ad bonitatem sermonis, quoniam extenditur et contrahitur, et gyratur circumquaque in ore modis diversis. Sicut ergo creatio lingue est ad gustandum et sermocinandum, sic duplex est lingue confessio, scilicet laudis et criminis. In confessione laudis, utpote in Officiis et Psalmodiis, que si devote agimus, gratiam compunctionis, et dulcedinem contemplationis degustamus. In confessione criminis

debemus sermocinari, id est, absolute, nude, et aperte peccata confiteri, et hoc docet ipsa natura fieri, quia lingua hominis est absoluta, mollis et lata; sic criminis confessio debet esse absoluta in omni circumstantiarum manifestatione, et firmi propositi non relabendi stabilitate. Talis lingue confessio facit animam extendi usque ad cælum. *S. ANTON. PAD. s. II in Pent.*

Sicut oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem, et suffitum; ita etiam linguam nullum oportet verbum proferre, quod sit ulla macula, aut labe respersum. Sit os tuum thuribulum, vide autem, ne id fimo impleas; tales enim sunt, qui loquuntur verba turpia, et immunda. *S. CASSIUS ap. Mansi, d. XI, n. 7.*

Sicut nihil juvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint, qui ea custodiant, et sciant, quando oportet ea quidem claudere, quando vero aperire; ita etiam oris et lingue nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accurate, et circumspecte ea claudere, et aperire permissum sit, et sciat, que sint effrenda, que vero retinenda. *Id. in Ps. CXL.*

Sicut in ponderando argento et auro, majori circumspectione utimur, quam in ponderando quovis alio metallo, vel re quopiam minoris valoris; ita quoque necessum est, ut magna cum circumspectione verba ponderemus, priusquam illa exprimamus. *Eccl. XXVIII, 29.*

Sicut vel minima etiam a pulvere tormentario sollicitissime aretetur ignis scintilla, utpote sufficiens ad totum eum absumendum; ita et lingua custodienda est atque refrenanda, ne vel unicum petulans, derisorium, aut pungens proferat verbum, siquidem magnum odiorum et irreconciliabilium inimicitiarum excitare potest incendium. *SALMERON. t. XVI, d. 4.*

UTILITAS. — Sicut ab igne ingentes capimus utilitates et commoda; siquidem in tenebris illuminat, obscuritatem et caliginem noctis fugat; in asperis frigidis rigoribus nos calefacit; panem, cibos, et epulas sapidas coquendo preparat; metalla in varios usus liquefacit, et in calcem redigit, ut inde erigantur ædificia; et sic de aliis quamplurimis commodis et emolumentis, que inde recipimus, discurrere licet. Eodem prorsus modo de lingua discurrere possumus, tametsi enim verum sit, quod mors sit in manu lingue, atamen id ipsum

astruens Sapiens, simul quoque dicit: «Vita in manu lingue;» in nostra enim potestate positum est, ut lingua multorum honorum operum, virtutum, meritum, et gratiæ sit instrumentum. In nostra potestate est, inquit D. Chrys. unumquodque membrorum nostrorum sive malitiæ, sive justitiæ instrumentum facere. Audi igitur, quomodo linguam hi quidem peccati, illi vero justitiæ arma fecerunt: «Lingua ipsorum gladius acutus;» alter vero quidam de sua dicit lingua: «Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis;» illa mortem operata est, hæc divinam legem scribebat; propterea illa quidem gladius, calamus autem hæc erat, non secundum propriam naturam, sed secundum utentium electionem. Lingue enim natura et hujus et illius una erat, operatio autem non una. Et de ore rursus idem cernere licet; etenim hi quidem habebant os sanie et improbitate plenum, propterea accusans dicebat: Os ipsorum amaritudinæ et maledictione plenum est; ipsius vero non tale, sed os meum, inquit, loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. *S. CASSIUS. t. I. h. 4 ad Pop.*

Sicut lingua nervo parvo, per eam, et palati anteriorem partem sparso, omnes saporis discernit, ut malum et noxium projiciat, bonum et dulce amplectatur; eadem ratione habens Spiritum Sanctum que Dei sunt, gustat; que vero carnis sunt ac sensus, expuit et declinat. *SALMER. ap. Mansi, dis. III, n. 4.*

Sicut is, qui equo frenum imponit, totum illius corpus facile regit; sic et homo, qui linguam suam frenat, seipsum facile ad omnem virtutem circumducet. *S. JACQ. c. 1.*

DAMNUM. — Sicut ignis licet parvus, magnum excitat incendium; sic lingua, licet parvum in se sit membrum, maxima tamen inferre damna consuevit. *S. JAC. c. 1.*

Sicut fornax, cujus os semper apertum est calorem retinere non potest; ita nec cor gratiam devotionis in se conservare poterit, cujus os non diligenter suo tempore fuerit conclusum. *S. BERN. de Pass. Dom. c. 21.*

Sicut is, qui compositionem thymiamatis fecerat olim ad usum profanum, perire de populo jubebatur; ita qui linguam ad Dei laudem propriamque utilita-

tem concessam ad alios fines usurparit, impunitus non abit. *FAB. CONC. III, n. 6.*

Sicut si vitrum, in quo liquores distillati, v. gr. aqua vite, vel alii similes continentur, non firmiter obturetur, sed relinquatur apertum, subito ejusmodi liquorum spiritus evanescent et disperdentur; ita quoque accidit spiritui et devotioni; si enim semper pateat, et male custodiatur, omnis spiritus et devotio penitus amittitur. *MANSI, d. v. n. 2.*

Sicut si, vento spirante, duo concylavis alienius ostia e diametro sibi opposita pateant, venti impetus majorem semper sibi acquirit vigorem; alterutro vero illorum clauso, ventus subsidet et evanescit; ita pariter, si duobus inter se contententibus, alter illorum furori cedens taceat, victasque det manus; alterius quoque furor protinus mitigatur. *Id. d. x, n. 8.*

Sicut arcus fraudulentus taliter fabricatus sunt, ut, dum quis sagittam in adversarium contorquere se existimat, semetipsum feriat; ita quoque lingua malevola damno parentat proprio, dum non modo animam loquentis plaga eruentat mortali, sed etiam contra se vindictas provocat plurimorum. *OSEE. c. VII, 16.*

Sicut venenum, dum malignitate sua ad cor usque penetrat, illud calore et motu, omnesque alias corporis partes vita destituit; ita lingua primo ictu illam vulnerando virtutem, que omnibus aliis vigorem subministrat, charitatem videlicet, dum (ut S. Bernardus ait) violat et vulnerat, omnia quoque opera bona prosternit, et inutilia efficit. *MANSI, d. XIII, n. 2.*

Sicut in naturali corruptione ab ore incipit mors; constat enim, ut ait Plinius, lib. II, cap. 37, os primo emori in homine, cor novissime; ita etiam in spirituali animi interitu mors fere ab ore incipit.

Sicut modicum fermentum corrumpit totam massam, et sicut parva scintilla ignis magnam silvam incendit; ita lingua sine freno dominos et præpositos, æquales et socios, subjectos et parvulos, et omnes scandalizat et ad iracundiam provocat. *S. BERN. s. 17.*

Sicut amygdalus in emittendis floribus et germinibus suis omnes alias arbores anticipat, ac proinde facilius quoque a pruina et gelu superveniente læditur; ita